Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 697

Quelle:
Copyright:

neceſſitate. ſed quod eſt uehementius caritate &c. Deficit vero in his verbis: *De ſolo deo deus eſt. et ſuper homines eſt* — —. Librum hunc non eſſe *Auguſtini* poſt *Eraſmum* ſenſere *Mauriani*, hincque in *T. cit. Appendicem* p. 1. conjecere rationibus in *Admonitione* praevia expoſitis, quas repetiit *Oudinus* T. I. *col.* 979. et *Petr. Couſtantius* in *Vindiciis vett. Codd. confirmatis*, *Pariſ.* 1715. p. 4. tuitus eſt. Vide et Codd. alios in *Indice*.

Codicem noſtrum ex *Gallia* olim allatum verba margini ſuperiori *fol.* 3. inſcripta teſtantur: *Em. Pariſius. XIII. Junij* 1395.

CCXXIII. VI. C. 17

143 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 371. f. perquam nitide deſcriptus, literarumque initialium auro et coloribus conſpicuus, ſed aut exemplaris, aut librarii culpa multum mendoſus, ex Bibliotheca, ut ſuſpicor, Mathiae Corvini Regis olim Hung. continet *S. Auguſtini* Ep. Hipponenſis *Libros XXII. de Civitate Dei*, praecedente Librorum Capitumque Tabula. Liber I. incipit litera quadrata: *Glorioſiſſimam Civitatem Dei ſive in hoc tempore* (temporum) *curſu cum inter impios peregrinat* (ur) *ex fide uiuens* &c. Totum Opus definit in haec verba: *De iſtis porro etatibus* — —. Quod itaque de Codice deperiit, in edit. *Mauriana Opp. Auguſtini* T. VII. *col.* 702. lineis 15. definitur. Dolendum cetera eſt, tanto ſelectiſſimae membranae volumini correctius aliquod Opus commiſſum non fuiſſe.

CCXXIV. VI. Q. 15

Codex membraneus lat. Sec. 529 partim XI. partim XIV. Folior. nunc 106. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas, nitide tamen per totum exaratus, rubricisque diſtinctus, olim, ut *fol.* 76. notatur, *conuentus wienn. ordinis fratrum predicatorum in Auſtria* fuit, et ſequentia complectitur: I. manu Sec. XI. praemiſſo *Capp.* LXI. elencho, locoque e *Retractat.* Libris: *Incipit liber encridion Sancti Auguſtini Epiſcopi.* Initium: *Dici non poteſt dilectiſſime fili Laurenti* &c. Lectio cum edit. *Maur. Opp.* T. VI. *col.* 195. plerumque conſpirat; video tamen c. 2. *hominis ſapientia* pro *homini ſapientia*, c. 4. *quid in rationem — non euehat* pro *non conueniat*, item *ab intentione mentis* pro *intelligentia mentis*, item *ſine ulla ratione* pro *ſine ulla dubitatione* &c. poſitum, quas lectiones Editores in ſuis Exemplis non inveniſſe videntur. Compactoris vitio interceptum eſt *Enchiridion* aliis Tractatibus *fol.* 17. et non niſi *fol.* 91. reſumitur, deficitque in his c. 95. quod in *Codice* eſt LIV. verbis: *unus eſſet aſſumendus per miſericordiam alius per iudicium* — —.

II. *fol.* 17. manu Sec. XIV. ut reliqua Succedentia: *Tractatus boecij de Vnitate et vno.* Incipit: